

distinguit *Corolla* simplici, *Staminibus* & *Pistillo* a reliquis bifollicatis, *seminibus* pappescentibus.

Huic generi adjeci duas species valde singulares ex India Orientali, nempe *Echiten scholarem*, quæ habet folliculos filiformes fere *orgyæ* longitudine; & alteram, quæ habet petala filo terminata, sæpe dimidiam ulnam longo, & dependente.

PLUMERIA omnium præstantissima, habet species caule carnosio, apice folioso & florifero, speciosissimis omnium floribus, præsertim *rubra*.

TABERNÆMONTANA  
&  
CAMERARIA

} differunt a reliquis: folliculis horizontaliter divaricatis, sed in *Cameraria* utrinque lobatis. — Illa habet *semina* nuda, intra *pulpam* folliculi inclusa.

Ad eam retuli & *Ansoniam*, nescio a quo ita dictam, quum in ea nil reperiam a fructificatione *Tabernæmontanæ* alienum. Folia habet alterna.

CEROPEGIA admiranda profecto & speciosissima planta *Indiæ Orientalis*, cujus eximia figura videatur in *Hort. Malab.* Scandit per ramos, ut *Convolvulus*, emittit pedunculos apice umbelliferos longe pendulos, cujus flores in orbem digesti pedunculis partialibus reflexis & recurvatis eriguntur, & referunt coronas s. *elychnia* in templis suspensa. Numquam fuit in hortis *Europæ*.